



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 55. Octo Propositiones a Basileensibus divulgatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A.C. 1439.

§. LV.

*Octo Propositiones a Basileensibus
divulgatæ.*

*Æn. Sylv. l. 1. de gestis
Basil. Conc.
in Fascic. p. 4.* I. *Veritas est Catholicæ fidei, sacrum gene-
rale Concilium supra Papam, et
lium quemvis potestatem habere.*

II. *Generale Concilium legitime congre-
gatum sine ipsius consensu, nec dissolvere, nec
transfere, nec prorogare ad tempus ex au-
toritate sua potest Romanus Pontifex, idque
veritatis ejusdem est.*

III. *Qui pertinaciter his veritatibus
opponit, hæreticus est censendus.*

IV. *Has veritates Eugenius Papa II.
oppugnavit, cum primo ex plenitudine potes-
tatis Apostolicæ Basileense Concilium dis-
solvit, sive transfere attentavit.*

V. *Errores his veritatibus repugnantes
monitus tandem per sacrum Concilium Eu-
genius revocavit.*

VI. *Dissolutio sive translatio per Eu-
genium secundum attentata prædictis est ob-
via veritatibus, inexcusabilemque circa fidem
errorem continet.*

VII. *Eugenius iterato dissolvere, seu
transfere Concilium tentans in revocatos er-
rores prolabitur.*

VIII. *Commonitus per Synodum Euge-
nius, ut dissolutionem sive translationem se-
cundo attentatam revocaret, post declaratam
contu-*

contumaciam in rebellionem persistens, Ferrariaeque conciliabulum erigens, seipsum pertinacem declarat. Sæcul. XV.
A.C. 1439.

§. LVI.

Hæc asserta a Panormitano oppugnata, & Eugenius ab eodem defensus.

Hæ octo propositiones ita concinnatæ *Æn. Sylv. loc. cit. p. 4.* pleno in confesso perlegebantur, præsentibus cunctis, qui Basileæ congregati erant. Postquam omnes ut viritim suam edicerent sententiam, rogati fuerant, potior eorum pars easdem calculo suo approbare aggrediebatur, cum ecce! subito confurgit Archiepiscopus Panormitanus, post accerrimus Eugenii Papæ hostis: Ille hæc principia gravissimis rationum momenti impugnavit, & cum in prima Synodi dissolutione pro illius auctoritate stetisset, jam in hac postrema pro Eugenio Papa agmen duxit, eumque ob spreta Basileensis Synodi decreta nequaquam hæreticum esse, invicte demonstravit. Hunc præter reliquos suos Oratores Alphonsus Arragoniæ & Siciliæ Rex ea tantum de causa Basileam destinaverat, ut omni via ac studio Eugenium Papam defenderet. Burgensis quoque Episcopus Pontificis partes tuendas suscepit, aliquibus tamen duntaxat conclusionibus